

vetustati atque antiquitati contrariæ, quæ si recipiantur, necesse est ut fides beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violatur. Ita Vincentius Lirinensis. (Commonit. cap. 24.)

Quæres 8º. quem in decurrendo stadio Theologico instituamus ordinem.

Resp. Primum à vera Religione ducemus exordium, eamque ab impiorum argutiis vindicabimus. 2º. De locis Theologicis sermo erit, qui sunt veluti promptuaria, ex quibus argumenta sua deducere Theologus debet, ut sacra Religionis Christianæ dogmata stabiliat, aut illustret. Ex iis locis præcipuè sunt Scriptura sacra, Traditio, Patrum scripta, Ecclesiæ autoritas, Conciliorum decreta. 3º. Iis præsidii instructi, aggrediemur Tractatus de Deo uno, divinisque attributis, de Deo trino, de Deo creatore, de Deo incarnato. 4º. Post expositam Verbi divini incarnationem, ex qua, tanquam fonte, defluit gratiæ cœlestis donum, de gratia disputabitur. 5º. Cùm Sacramenta sint quasi totidem canales, per quos voluit Christus suam in homines gratiam effundere, disseremus, tum de Sacramentis in genere, tum de singulis seorsim. Sacramento Pœnitentiæ subijciemus appendicem de Indulgentiis, et Tractatum de Censuris, quibus assignari non potest sedes opportunior. Sacramento autem Ordinis, propter affinitatem et veluti cognationem, subnectemus Tractatus de Irregularitatibus, de officiis Clericorum, de Beneficiis, de Simonia. 6º. Agemus de Actibus humanis, quarum principia et regulas exponemus. 7º. De Legibus quæ externa sunt actu humanorum regula. 8º. De Præceptis Ecclesiæ. 9º. De Jure et Justitiâ. 10º. de Virtutibus, tum Moralibus, tum Theologicis. 11º. De Virtute Religionis. 12º. De Peccatis.



TRACTATUS DE RELIGIONE.



RELIGIONIS nomine intelligitur eorum omnium complexio, quæ ad cultum Dei legitimum ab eoque præscriptum pertinent. Statim autem à primolimine quædam sunt prænotanda.

Notandum 1º. in toto hujus Tractatus decursu nobis esse cum Deistis congregiendum. Quinam sint igitur ii Religionis hostes, hic aperiendum est. Deistarum nomine intelliguntur ii sophistæ, qui Deum quidem et supremum Numen agnoscunt, à quo conditum fuit quicquid in orbe universo continetur; sed qui omnia ratione metientes, ea tantum admittant Religionis dogmata, quæ lumine naturali ab ipsis percipiuntur, ideoque mysteria nostra rejiciunt.

Duas in classes dividuntur Deistæ. Alii docent 1º. Deum, cum sibi solus sufficiat, nullum ab hominibus cultum exigere, sive internum, sive externum; 2º. nihil esse virtutem inter et vitium discriminis *essentialis*, sed utrumque ex hominum arbitrio et instituto pendere; 3º. Nec quidquam præmii aut pœnæ post mortalem hanc vitam rependendum esse; animamque unâ cum corpore extinguentiam.

Alii verò Deistæ hæc opinionum monstra reji-

ciates, docent 1^o. virtutem et vitium à se invicem *essentialiter* discrepare, et quasdam esse immutabiles boni et æqui leges, quas homo sequi debeat; 2^o. suam virtuti mercedem, vitiisque pœnam deberi: cum autem in hac vitâ non semper sua sit virtuti merces, nec crimini pœna, alteram esse vitam concludunt, in quâ boni æternam felicitatem consequentur; mali verò dabunt pœnas, sed temporaneas tantum; quia Deus, inquit, illæsâ justitiâ, non potest unius momenti peccatis æterna decernere supplicia. 2^o. Totam hominis religionem in eo sitam volunt, quod Deo, sibi et proximo ea omnia pendat, quæ ratio sive lex naturalis præscribit. Ex iis autem Deistarum erroribus nonnulli sunt, quos opportunius alibi refellemus: in Tractatu enim de Legibus virtutem et vitium, justum et injustum à se invicem necessariò discrepare; in Tractatu verò de Peccatis, æternas delicto mortali pœnas infligendas esse demonstrabimus.

Notandum 2^o. legem naturalem, seorsim sumptam, non posse dici Religionem, ita ut duæ sint Religiones, quarum altera lege naturali, altera revelatione contineatur; altera naturalis, altera *supernaturalis*, seu revelata; sed unicam esse Religionem, quæ ex lege naturali simul et revelatione coalescit; adeò ut, sive legem naturalem observet homo, sive veritates solâ revelatione cognitatas firmâ fide teneat, unius et ejusdem Religionis actus exerceat.

1^o. Enim vera quælibet Religio eum omnem cultum complectitur, quem Deus nobis prescribit, ut ipsi grati simus, vitamque æternam consequamur; atqui unica est hujusmodi Religio, nec alia est quàm Christiana: duplicis quidem generis officia continet, nempe alia quæ dictat ratio naturalis, et alia quæ per solam revelationem cognoscimus: ex duplici autem illo officiorum ordine non exoritur duplex Religio, naturalis una,

et *supernaturalis* altera, seu revelata; alioqui per alterutram seorsim sumptam, Deo totus redderetur quem exigit cultus; quod tamen nemo dicere ausit. Numquid enim Deum, ut par est, colere censeretur, qui totum obsequium ipsi debitum coërceret, vel intra solam legis naturalis observationem, vel intra veritates solâ revelatione cognitatas?

2^o. Id veræ cujuslibet Religionis proprium est, ut homini subministret quiddam subsidii requiritur, ut Deo placeat: atqui non ita profectò se habet lex naturalis; ad eam quippe non pertinet fides: atqui *sine fide impossibile est placere Deo*, ait Apostolus. (*Hebr. II. 6.*) Idem passim testantur sancti Patres, et præsertim Augustinus. Nos, inquit, ea quæ videntur opera bona, dicimus non esse verè bona sine fide; quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non potest esse. (*Lib. 4. contrâ Julian. num. 51. tom. 10. pag. 609.*) Ergo cum non sufficiat lex naturalis, ut Deo placeamus, veram Religionem constituere sola non potest.

3^o. Maximè novella est legis naturalis in Religionem naturalem conversio, nullumque sive in Scripturis, sive in Patribus habet fundamentum. Si enim singulas Ecclesiæ ætates perlustraveris, nullum ante seculum XVIII reperias scriptorem ecclesiasticum, qui legem naturalem venerando Religionis nómine decoraverit. Quin etiam in recentibus scriptis ecclesiasticâ autoritate munitis nusquam apparet nuperum religionis naturalis vocabulum.

Itaque pro certo teneamus unicam esse Religionem veram, nempe Christianam, quæ licet præcepta legis naturalis contineat, *supernaturalis* tamen est; tum quia legis naturalis officia, sicut oportet, ut aiunt Patres, observari nequeunt sine fide in Christum; siquidem non est in alio aliquo salus;

nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: (Act. 4. 12.) tum quia necesse fuit ut legis naturalis cognitionem, quam variæ hominum cupiditates maximâ ex parte obscuraverant, Deus per externam revelationem manifestaret. Hinc clarissimum illud Cleri Gallicani testimonium in celeberrimis anni 1700 comitiis: *L'Eglise Catholique a toujours été persuadée que la Religion Chrétienne consiste dans la foi et les mœurs; que les dogmes qui fixent la foi, et ceux qui reglent les mœurs, ont la même source, et que les préceptes qui nous apprennent à bien vivre, appartiennent à la foi.* Ibi sapientissimi Præsules, nullâ factâ religionis naturalis mentione, unicam admittunt Religionem, nempe Christianam, quam in moribus et fida ita sitam esse dicunt, ut et ipsæ morum regulæ ad fidem et revelationem pertineant.

Iis præmissis, hæc erit instituti nostri ratio: 1°. de necessitate cultûs Dei, tum interni, tum externi; 2°. de Revelatione; 3°. de Religione Judaicâ; 4°. de Religione Christianâ dicturi sumus.



DISSERTATIO I.

De necessitate Cultûs divini, tum interni, tum externi.

DISTÆ quidam, ut jam monuimus, Deum sibi impiè fingentes, cui res humanæ nullo modo curæ sint, eum contendunt nullum ab hominibus cultum exigere, sive interiorem, sive exterierem.

PROPOSITIO I.

Deo cultus internus debetur.

Probatur 1°. Deo cultus ille debetur, quem ipsi vindicat ratio naturalis: atqui Deo cultum internum asserit ratio naturalis: hic enim situs est in amore, adoratione, reverentiâ, obedientiâ, et grati animi sensibus: atqui hujusmodi officia erga Deum imperat ratio naturalis: quisquis enim eam vel leviter consuluerit, is facillè deprehendet se teneri eum super omnia diligere, qui in supremo gradu est amabilis, omnesque perfectiones in se complectitur; eum adorare, cujus suprema est majestas; eum revereri, cujus potentia nullis circumscribitur limitibus; eum colere obedientiâ, qui summum in omnes creaturas habet dominium; eum denique grato animo prosequi, ex cujus liberalitate et munificentia accepit quidquid habet: atqui Deus his omnibus titulis gaudet; ergo ratio naturalis, amoris, adorationis, reverentiæ, obedientiæ gratique animi sensus et officia erga Deum præscribit: ergo, etc.

Prob. 2°. Nulla unquam extitit gens adeò rudis, fera et barbara, quæ Deum quem agnoscebat non coleret: *Sua*, inquit Tullius, *cuique civitati religio est; Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege quæ hoc præcipiat, careat:* (Oratione pro Flacco.) atqui unanimis ille populorum consensus circa cultûs divini necessitatem, naturæ vox est concordissima: vel enim ex ipsis naturæ quasi visceribus manavit, vel à cupiditatibus aut præjudiciis: atqui duo posteriora dici nequeunt: 1°. quidem illud suam à cupiditatibus non traxit originem, quod illis, nedùm faveat, plurimum adversatur: atqui consensus populorum circa cultûs divini necessitatem, etc. siquidem, eâ semel admissâ, reprimendæ sunt et coercendæ cupiditates. Idcirco quotquot extiterunt